



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

De circulis sphæræ, & polo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)



Septimus modus ex vocibus septem componetur necnon rectis brevibus, hic ergo locetur.

O Maria, virgo Davidica, &c. Sese colligantibus quatuor, ligetur binis concurrentibus, iste finiatur: est earum finibus, semper plica detur.

Et sic iste septimus merito dicitur.
Octavus modus, inæqualibus, binis semibrevis semper patietur.


Binis coeuntibus cum proprietatibus ipse copuletur.

Nonus modus semibrevis tribus, & æqualibus, sic perficietur.



Domine, Domine, Rex gloria, &c. Ex quibus tribus omnibus unum de temporibus æquale ducetur.

B E D Æ P R E S B Y T E R I D E C I R C U L I S S P H Æ R Æ E T P O L O.



Sphæra, est species quædam in rotundo conformata, omnibus ex partibus æqualis apparet: unde reliqui circuli finiuntur. Hujus autem neque exitus, neque initium potest diffiniri, ideo quod in rotundo omnes tactus, & initia, & exitus significare possunt.

Centrum est, cujus ab initio circumductio sphære terminatur, ac terræ positio constituta declaratur.

Dimensio quo totius ostenditur sphæra, cum ex utriusque partibus ejus ad extremam circumductionem rectæ ac virgulæ perducuntur: quæ dimensio à compluribus est axis appellata. Hujus autem cacumina, quibus maxime sphæra nititur, poli appellantur. Quorum alter ad Aquilonem spectans, Boreus: alter oppositus, Austro, Notus etiam dicitur.

Quæ sint significationes.

Significationes quædam in circumductione sphære circuli appellantur, è quibus parallelos dicuntur, qui ad eundem polum constituti finiuntur. Maximi autem sunt, qui eodem centro, quo sphæra continentur. Horizon autem appellatur is, qui terminat ea, quæ perspicere aut videri non possunt. Hic autem incerta ratione diffinitur, quod modo polo subjectus & circulis his, qui paralleli dicuntur, modo duobus extremis & æqualibus nixus, modo aliis partibus adjectus terræ pervidetur: ita utcumque fuerit sphæra collocata.

Polus, is qui boreus appellatur, pervideri potest semper: notus autem ratione dissimilis semper est à conspectu remotus. Naturalis mundi statio physicè dicitur, ea esse in boreo polo finita. ut omnia è dextris partibus ex-

oriri,

exortiri, in finitris occidere videantur. Exortus, est enim subita quadam species objecta nostro conspectui. Occasus autem pari de causa, ut erepra ab oculis visa in finitione mundi, Circuli sunt paralleli quinque: in quibus tota ratio sphaerae consistat, praeter eum qui zodiacus appellatur. Qui quod non ut ceteri circuli certa demensione finitur, & inclinatione aliis videtur, loxos à Græcis est dictus. Quinque autem, quos supra diximus, sic in sphaera metiuntur. Initio supremo à polo, qui boreus appellatur, ad eum qui Notus & Antarcticus vocatur, in triginta partes unumquodque hemisphaerium dividitur: ita uti demensio significari videatur, in tota sphaera 60. partes factas. Deinde ab eodem principio boreo sex partibus ex utraque finitione sumptis, circulus ducitur, cujus centrum ipse polus finitur. Circulus Arcticus appellatur, quod intra eum arcturam simulacra ut inclusa perspicuntur. Quae signa à nostris usurarum specie ficta, Septentriones appellantur. Ab hoc circulo de reliquis partibus quinque sumptis, eodem centro, quo supra diximus, circulus ducitur, qui theminos tropicos appellatur: ideo quod sol cum ad eum circumulum pervenit, aestatem efficit eis, qui in Aquilonis finibus sunt: hyemem autem eis, quo Austris partibus oppositos ante diximus. Propterea quod ultra eum circumulum sol non transit, sed statim revertitur, tropicus est appellatus. Ab hac circuli significatione quatuor de reliquis partibus sumptis, ducitur circulus æquinoctialis à Græcis isemerinos appellatus, ideo quod sol cum ad eum orbem pervenit, æquinoctium conficit. Hoc circulo facto, dimidia sphaera pars constituta perspicitur. Econtrariò item simili ratione à Noto polo sex partibus sumptis, ut supra de Boreo diximus, circulus ductus Antarcticus vocatur, quod contrarius est circulo, quem Arcticum supra divisimus. Hac divisione sphaerae, centroque polo, qui Notus dicitur, quinque partibus sumptis, circulus imerinostropicos instituitur, à nobis hyemalis, à nonnullis etiam brumalis appellatur: ideo quod sol cum ad eum circumulum pervenit, hyemem efficit his, qui ad Aquilonem expectant: aestatem autem his, qui in Austris partibus domicilia constituerunt. Quando autem abest longius ab his, qui in Aquilonis habitant finibus, hoc majore hyeme consistantur: aestatem autem hi, quibus sol appositus pervidetur. Itaque Aethiopes sub utroque orbe necessariò sunt. Ab hoc circulo ad æquinoctialem circumulum reliquæ sunt partes quatuor, ita uti sol per octo partes sphaerae currere videatur. Zodiacus autem circulus sic vel optimè definiti poterit, ut signis factis, sicut postea dicemus, ex ordine circumulus perducatur. Qui autem Lacteus vocatur, contrarius æquinoctiali, vel ita ibi oportet constituere, ut eum medium dividere, & bis ad eum pervenire videatur, semel in eo loco, ubi Aquilo constituitur: iterum autem ad ejus signi regionem, quod Procion vocatur. Duodecim signorum partes sic dividetur. Quinque circuli, de quibus supra diximus, ita finiuntur: ut unusquisque eorum dividatur in partes 12. & ita ex eorum punctis lineæ perducantur, quæ circumulos significant factos, in quibus signa 12. describantur. Sed à nonnullis imperitiis quaeritur, quare non æquis partibus circuli finiuntur: hoc est, ut de triginta partibus quinæ partes dividantur, & ita circuli pari ratione ducantur, id facillimè defendi posse confidimus. Cum enim media sphaera divisa est, circumulorum nullus potest æqualis esse: qui quamvis proximè eum accedat, tamen minor esse videatur. Itaque qui primum sphaeram fecerunt, cum vellent omnium circumulorum æquas ratio-

nes esse, pro rata parte voluerunt significare: ut quanto magis à polo discederetur, hoc minorem numerum partium sumerent in circulis metiendis, quo necesse his erat majorem circumulum definire. Quod etiam ex ipsa sphaera licet intelligere: quanto magis à polo discedes, hoc majores circumulos fieri, & hac re minorem duci numerum, ut pares eorum videantur effectus: & si non in 30. partes unumquodque hemisphaerium dividatur, sed in alias quodlibet finitiones, tamen eò ratio pervenit ejus, ac si triginta partes fecisset. Zodiacus circumulus tribus his subiectus, de quibus supra diximus, ex quadam parte contingit æstivum & hyemalem, æquinoctialem autem medium dividit. Itaque sol per zodiacum circumulum currens, neque extra eum transiens, necessariò cum signis his, quibus innoxius iter conficere videtur, pervenit ad eos, quos supra diximus orbes, & ita quatuor tempora definit. Nam ab arietate incipiens, ver ostendit, & taurum, & geminostransiens, idem significat: sed jam capitibus geminorum circumulum æstivum tangere videtur. Et per cancrum & leonem transiens & virginem, æstatem efficit. Et rursus à virginis extrema parte transire ad æquinoctialem circumulum perspicitur. In libra autem æquinoctium conficit, & autumnum significare incipit. Ab hoc signo transiens ad scorpionem & sagittarium, deinde protinus incurrit in hyemalem circumulum: & capricorno, aquario, piscibus hyemem transigit. Itaque ostenditur non per tres ipsos circumulos currere, sed zodiacum transiens ad eos pervenire.

Item.

Inventis in sphaera rotunda coluris, & ipsa sphaera in sexaginta divisa, ad inveniendum nostri almucantaræ, hæc est ratio. Ab arctici centro in meridiano coluro assumas septem sexagesimas, & ibi nostri summum habeas. In quo quidem summo uno circumuli pede posito, 15. sexagesimas assumas ante te pede cum altero, & primum almucantaræ, id est, habitalem nostri horizontem circumvolvas. Deinde interius ad 14. ponas, & iterum circumvolvas. Deinde 13. & ita ad singulas interiores sexagesimas ponas & circumducas, dum ad cacumen venias. Ad erigendam sphaeram rotundam sic facias. Ad arcticum subeus duas sexagesimas, in nostram habitabilem sumas, & id loci ad summum valis, terræ vicem obtinentis sustentaculo erigas. Hoc unum facias, alioquin eveniet, ut signa plurima orta non videas: & contra plurima sublapsa videas. Hanc quidem positionem edocet status, in æquinoctio inventus. Eclipsis solis & lunæ hujusmodi est naturæ. Constat quidem revidentibus in zodiaci regione amborum esse currere, sed non æqualiter. Sol enim nunquam ab ecliptica, quæ media est, aberrat lineam. Luna verò non est in ea ipsa zodiaci medietate, sed in hoc vel illo latere. Quo fit, ut cum ambo in ecliptica sint, quæ ab eclipsis dicitur, utrumque ab altero terræ umbra interveniente obscureretur, quominus apud nos tunc alterius lateat defectus. Nec id mirum. Cum enim ambo (ut dictum est) in eadem sint linea, sed unum supra terram, alterum infra, contingit ut infimul superius ab inferiori: & contra inferiori à superiori per terræ umbram lumine deficiat, & ita superioris vitium notatur, inferioris verò ignoratur. Quare nostri climatis altitudo 48. fit, hæc est ratio, quod per tot gradus à terra polus apud nos est erectus. Propterea
& nos eum in sphaera sic
erigimus.